



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Explanatio puncti 4ti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

ne, dictione, conversatione contractos aperiat, 3tio demùm modestia providet, ut hilaris gemitus mentisq̄ serenitas ita semper ex vultu, discursu, modoque agendi eluceat, ut simul tamen nulla appareat leporina qualitas, risus immodicus, levitas, aut nimia animi effusio, vel mimicus genius, ne illud Bern. ad Eugenium in te quoque vibrari possit: *Fædè ad cachinnos moveris, fædiùs moves.* Ejusmodi mores non ædificant simpliciores, & sagaciores viròsque graves statim offendunt, sicque perit æstimatiò, sinè qua impossibile est, ut solidi quid conversatione tuâ efficias. Est & istud hoc in genere multiplici probatum experienciã, quòd vix aliud humanæ mentis vitium minùs ad correctionem sit idoneum, quàm mimici esse genii; & seria in jocos vertere ac pueriles risus. Talis manet *puercentum annorum*, & si ipse ideò vix corrigendus sit, quomodo cum fructu alios in conversatione corriget? nemo enim dat, quod non habet. Prætexunt ejusmodi genii homines, Apostolum ad Philip. 4. iteratò dicere. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Sed advertant ipsum in continenti subjungere: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

Explanatio puncti 4ti.

Quàm divinus conceptus, quàm sancta & salutaria in ordine ad proximum juvandum S. P. N. desideria! ut filii ejus non tantùm fundamentaliter iis sint exculti scientiis, quæ in scho-

scholis addiscuntur. Sed ut etiam in omni scibili versati cum navita de ventis, de tauris cum aratore, de agris cum agricola, de bello cum milite, de mechanicis cum variis opificibus, de historicis cum rerum istarum studiosis; uno verbo de iis, quæ genio, professioni, propensione cuiusvis, cum quo agunt, arident, discurrere, & sic paulatim animum ejus lucrari possint. Nam verè homines sæpè animales potiùs sunt, quàm spiritualis capaces ratiocinationis. Hinc necessum est eos escâ, quam appetunt, attrahere, ut ad æternas veritates altiùs in animam immittendas sensim disponantur. Ità Salvator noster discurrendo de aqua cum Samaritana eam paulatim docuit credere in fontem vivum, & promissum in Scripturis Messiam, Ità S. P. N. & ejusdem cum eo Spiritûs S. Xaverius de variis loquendo, quæ iis, quibuscum conversabantur, grata erant; sub finem discursûs reservados æternarum veritatum aculeos infigere solebant, & in hoc sensu intelligendum est illud 2. Cor. 12. *Dolo vos cœpi.* Sed cavendum est, ne omnigenæ, quam possides, scientiæ artique varix ac eloquentiæ conjuncta sit noxia tuî ipsius existimatio. Quæ si foras erumpat in jactantiam, æstimationem minuit, & animum proximi à te abalienat, sicque, quod unâ manu ædificatur, altera destruitur.

* *
*

C 3

Eplica